

## §. 24.

Tametsi igitur sub potentia illa transcendentali etiam eæ contineantur, quas prædicamentales ante dixi: non tamen similiter & cæteræ, quæ supra memorabantur. Nisi quod istæ dici nihilominus etiam transcendentales possint, sed sub ampliori termini hujus significatu.

## §. 25.

Sed ut descendendo sub hac transcendentali potentia ad activam finitam regrediar: haut abs re ea in Potentiam Rationalem, & Irrationalem dispescitur. Diciturque Rationalis potentia, quæ rationis quocunque modo est particeps: hoc est, ita ut vel ipsa ratio sit formaliter, vel ejus saltem judicii & dictaminis capax. Irrationalis vero, quæ nec in se ipsa rationem habet, nec ad dictamen rationis coerceri potest.

## §. 26

Ita namque in Homine Potentia Rationalis per essentiam talis, ipse intellectus est; per participationem vero, voluntas, appetitusque sensitivus, nec non facultas ridendi, sermocinandi, ac denique locomotiva;